



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

Eisvogel, Veremund

Augustae Vindelic., 1727

16. S. Simon Stock

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

Festum B. Simeonis Stock è SS.
familia Carmelitana, Pretiosi
Mariæ famuli :

EXHORTATIUNCULA I.

Fili! hic vir! hic Beatus est, cui vi-
vi, & mortui debent plurima, dum
sacrum scapulare obtinuit à Maria. Hæc
gratia unde B. Simeoni? à constanti in
Deipparam pietatis affectu, & filiali amo-
re. Hæc merces amantium est. Hinc
ipsa coelitem Regina in soliloq. Tho-
mæ Kemp. Ego sum Mater misericor-
diæ, plena Charitate, & dulcedine.
Ego peccatorum scala, reorum spes &
venia. Ego moestorum consolatio, &
piorum Merces magna nimis. Quis in
S. scapulari non diligat Mariam?

Instructio meritoria.

Congregationi de SS. scapulari hodie
nostra dabimus nomina, vel si jam in-
scripta, formulam renovabimus voti-
vam cum Cantico Ambrosiano: *Te*
Deum Laudamus, pro accepto salutis
vexillo. Qui stat, & pugnat sub præse-
dio

dio Reginae tantæ, quem hostium timeat?

II.

BEatus Simeon meruit sub Marianæ Protectionis recipi pallio, & hoc ob specialem tempore afflictionis, & adversitatum in Mariam confidentiam. Gallina suas sub alas abscondit pullos suos: Et id negabimus Matri Divinæ respectu clientum? Non sic genuini Mariæ filii! Hi enim noverint illud S. Bernardi: Hæc Mater est singularis diligentia: nulla unquam Mater tantum pro filio sollicita fuit, imò nec omnes simul sumptæ, quantum Maria sollicita est pro suis. Serm. 3. de Assumpt.

Instructio meritoria.

Idem fateamur & nos recitando Rhyth-
mum S. Casimiri: *Omni die dic Mariæ,
mea laudes anima.* Manè verò, & no-
ctè intonabimus Canticum Simeonis:
Benedictus Dominus Deus Israël. Verè
visitavit, & visitandò nos sanctificavit S.
Scapulari clemens, Pia, & Dulcis Virgo
Maria.

III. Fi-

III.

Fili! quis nostrum habitabit cum ardoribus? quis non contremiscat ad purgatorii incendia? O felices SS. Scapularis Cultores! His suam quoque inter flammis promisit Maria consolationem, & assistentiam per B. Simeonem. O quot non sacro Scapulari debemus oscula! Quot gratias familiae Carmelitanae!

Instructio meritoria.

Pro incremento Archi - fraternitatis tam antiquae quam pretiosae hodiernae totius diei opera offeramus cum Curia Mariano. Flumina imitemur. Reddamus mari, quod à mari accepimus.

Festum S. Paschalis Baylon ex
Ord. S. P. Francisci.

EXHORTATIUNCULA I.

Dilecte! Quis exprimet in S. Paschali puritatem, humilitatem, fervorem, Deique & proximi amorem? Uti cepit in sua innocentia, ita continuavit, mortuus quam gloriosissime. Non initia sunt Christianorum, sed finis, & con-